

1971

Mgr Altino Ribeiro Santana évêque de Sá da Bandeira — (27-V II-1955)

António Brásio

Follow this and additional works at: <https://dsc.duq.edu/angolavol5>

Recommended Citation

Brásio, A. (Ed.). (1971). Mgr Altino Ribeiro Santana évêque de Sá da Bandeira. In *Angola: 1904-1967*. Pittsburgh, PA: Duquesne University Press.

This 1955 is brought to you for free and open access by the Spiritana Monumenta Historica at Duquesne Scholarship Collection. It has been accepted for inclusion in Angola:1904-1967 by an authorized administrator of Duquesne Scholarship Collection.

MGR ALTINO RIBEIRO SANTANA
EVÊQUE DE SÁ DA BANDEIRA

(27-VII-1955)

SOMMAIRE — *Le Saint Père nomme le premier évêque de Sá da Bandeira dans la personne du R.P. Altino Ribeiro Santana, Supérieur du Petit Séminaire de Goa.*

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Altino Ribeiro Santana, Antistiti Urbano, adhuc minoris Seminarii Goani Moderatori, electo primo Sada-bandeiropolitano Episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. //

Nostrum est, quibus omnipotens Deus arcano suae voluntatis consilio naviculam Petri gubernandam tradidit, diligenter studere ut utilitati omnium Ecclesiarum recte provideamus iisdemque dignos ac sollertes praeponamus sacrorum Antistites. Quo Nos moti consilio, cum Sadabandeiropolitanae Ecclesiae, hoc ipso die a Nobis per apostolicas sub plumbo Litteras «Ad Christi Evangelium» constitutae, sit nunc primus praeficiendus Praesul, omnibus bene perpensis, censuimus Te, dilecte Fili, ad hoc muneris vocare. Apostolica igitur Nostra usi potestate, Te eiusdem Sadabandeiropolitanae dioecesis, metropolitanae Sedi Luandensi suffraganae, primum renuntiamus Episcopum, Tibi datis huius Ecclesiae regimine et administratione sive religiosarum rerum, sive temporalium bonorum ad eam spectantium, et etiam iuribus et honoribus, oneribus et obligationibus, quae cum hoc munere coniunguntur. Maiori autem tuo commodo studentes, Tibi concedimus ut extra Urbem Episcopus consecreris a quem malueris catho-

lico sacrorum Antistite, assistentibus ei duobus pari dignitate viris, qui omnes fidelitate Petri Cathedram colant; cui venerabili Fratri, ad hoc electo, Te consecrandi mandatum per praesentes Nostras Litteras damus. //

Volumus insuper ut, antequam hoc et in tuae dioecesis canonicam proficiscaris possessionem, teste aliquo Praesente, qui rectae doctrinae societatem habeat cum Apostolica Sede, rite catholicam fidem profitearis, et cum fidelitatis erga Nos et Romanam Sedem tum contra modernistarum errores iurairanda des, iuxta praescriptas formulas, quarum exempla, his Litteris adiecta, Tui et ipsius Praesulis nomine subscripto ac sigillo impresso, ad S. Congregationem Consistorialem quam primum mittenda cures. Quae iurairanda nisi dederis nec fidei professionem feceris, sive Tu sive Episcopus qui Te consecraverit poenis plectemini iure statutis. Quibus nuntiatis, pro Te, dilecte Fili, vota ex animo concipimus ut summus caelorum Pater Te populumque tuum sua gratia suisque cumulet muneribus. //

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Julii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quinto, Pontificatus Nostri decimoseptimo.

Celsus Card. Costantini
S. R. E. Cancellarius

Hamletus Tondini, Apost. Cancel. Regens

Albertus Serafini, Protonot. Apostolicus
Silvius Sericano, Proton. Apost.

ADSB — *Document original.*